

30.

DISSERTATIO MEDICA  
DE  
**EXOTICOMANIA,**  
SIVE  
DE EO, QVOD NIMIVM EST,  
CIRCA VSVM MEDICAMENTORVM  
EXOTICORVM.

---

QVAM,  
CONSENSV FACVLTATIS MEDICÆ,  
P R A E S I D E  
**CHRISTIANO STEPHANO SCHEFFELIO,**  
MED. D. ET PROFESSORE REGIO ORDINARIO,  
D. XVIII. DECEMBRIS ANNI MDCCXXXIII.  
IN AUDITORIO MAIORI  
PUBLICO EXAMINI SVBMITTIT  
**JOANNES ANDREAS**  
**GADEBUSCH,**  
GEDANENSIS, MEDICINÆ STUDIOSUS.

---

GRYPHISWALDIÆ,

\*\*\*

Ex TYPOGRAPHEO CAROLI HÖPFNERI, REG. ACAD. TYPogr.

PERGAMENTO ALBICO

ANAMOLOXI

PERGAMENTO ALBICO  
CON CERCHIOLO  
CON CERCHIOLO

ANAMOLOXI

ANAMOLOXI

ANAMOLOXI

ANAMOLOXI

ANAMOLOXI

ANAMOLOXI

ANAMOLOXI

ANAMOLOXI

ANAMOLOXI

GERHARDUS ALDINE

VIRO  
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,  
AMPLISSIMO,  
DOMINO  
DN. JOH. ADAMO  
KULMUS,  
MEDICINÆ DOCTORI, EJVSDEMQVE  
AC PHILOSOPHIÆ NATVRALIS IN ILLVSTRI  
GEDANENSIVM ATHENÆO PROFESSORI  
PVBLICO  
MERITISSIMO, CELEBERRIMO,  
ACADEMIÆ IMPERIALIS NATVRÆ CVRIOSO-  
RVM SODALI DIGNISSIMO,  
PATRONO MEO ET PRÆ-  
CEPTORI,  
FILIALI PIETATE ET OBSERVANTIA AD CINERES VS-  
QUE COLENDO, DEVENERANDO,

S!

*VIR Excellentissime,  
Experientissime, Amplissime!*

Cum seria estimatione mecum perpendo, quanta TVA, VIR EXCELLENTISSIME sint beneficia, quantaque TVA in me merita, quibus me, ex eo tempore, quo Albo Civium Athenaei Gedanensis inscriberer, cumulaisti; detersandum ingratæ mentis scelus utique committerem, imo ingratissimis, quos tellus foveret, annumerandus forem, nisi publicum quoddam devoti animi monumentum EXCELLENTISSIMO TVO NOMINI erigerem. Habui TE per triennum Præceptorem integrum, fidelissimumque, summa cura, summo studio in eo allaborantem, ut præceptis, a præjudicatis opinionibus liberis, solique rationi & experientiae innitentibus, viam mihi planam, facilem jucundamque, ad ipsas artis medicae rationes intimas sterneres pariter ac munires. Taceo innumeras, quæ, à TE in me edita, extant benevolentia documenta: Taceo ineffabilem TVAM humanitatem, qua, quotiescunque TE compellandi occasio data, me excepersti. Est hæc virtus, quæ in nonnullis Docentibus plane deficit; TIBI autem, TVISQUE meritis, maximum conciliat splendorem. Anxii proinde quam quærebam, præter spem inveniebam, occasionem, gratum meum TIBI contestandi ac significandi animum. Est nimurum præsens hoc specimen, quod pia manu, devotaque mente, TIBI, PATRONE & PRÆCEPTOR, offero, dico, sacro. Accipe hoc quicquid est muneris serena fronte, huicque conaturi fave, uti reliquorum TIVORVM discipulorum laboribus favere atque adnuere soles. Vale, Orbis literarii decus & ornamentum, eumque ulteriori favori habe commendissimum, qui omnem per ætatem erit

*Celeberrimi Tui Nominis*

Dabam Gryphiswaldiae, die XVIII. Dec.  
a. c. 1733.

devotissimus Cultor  
JOHANNES ANDREAS  
G A D E B U S C H.



s. I.

**S**olet hominibus hoc inter alia adhærere vitium, ut  
nova veteribus & quotidianis ubique preferant, eorumque  
vicissitudine mirum in modum delectentur ac pa-  
scantur. Nec ad res istas, quæ novitatis aliqua specie  
blandiuntur, proclives sunt fœminæ, homines ple-  
beji & hoc genus omne. Ipsi quoque, qui variis eruditio-  
nis studiis suos animos tradiderunt fingendos, in eodem  
sæpiissime hæsitant luto. Comprobemus hoc tantum, ne fal-  
cem in alienam mestem immittere videamur, iis, quæ in ar-  
te medica sunt obvia. In hac omni tempore fuerunt Narcissi  
quidam, qui, sibi solis placentes, citra ullam, vel certe suffici-  
entem rationem, susque deque habitis quibuscumque vete-  
rum dogmatibus, aliorum ruinis suam superstruere voluerunt  
gloriam. Nec satis fuit, physiologicis, pathologicis, therapeuticis, aliis-  
que ad forum medicum spectantibus disciplinis novas immi-  
scuisse chimæras: idem quoque fatum medicamenta experta  
sunt, non sine jactura remediorum veteribus cognitorum  
exploratorumque & ob insignem præstantiam ad posteros  
potius transmittendorum, quorum tamen vix vera amplius  
nomina invenimus. Tantum enim abest, ut medicorum  
multi in remediis, quæ regio quælibet suis incolis indulgen-  
tissime largitur, acquiescant, eorumque usum ulterius exco-

A

lant,

lant, ut potius hæc sere rejicient altoque spernant supercilium,  
 ita ut non male ad illos applicari possint verba C. PLINII  
 Novocomensis L. VIII. epistola 20.: *Ita natura comparatum est,*  
*ut proximorum incuriosi, longinqua sectemur: seu quod omnium rerum*  
*cupido langescit, cum facilis occasio est: seu quod differimus, tanquam*  
*sepe visuri, quod datur videre quoties velis cernere.* Nec novum  
 hoc est: quin potius, hunc morem NERONIS temporibus  
 jam invaluisse, patet ex ejus lege, qua cavit, ne medici alia,  
 præter ea, que Romanus ager aleret, medicamenta in ore & usu habe-  
 rent, LENTIL. Mjic. Med. Part. III. p. 284. conf. HOFMANNI  
*Clavis pharmaceut.* Schröderiana p. 26. Eundem pruritum im-  
 probat PLINIVS Veronensis, Historiæ Naturalis scriptor Lib.  
 XXIV. cap. I. Postea, inquit, *fraudes hominum & ingeniorum captiu-*  
*ra officinas invenere istas, in quibus sua cuique homini venali promit-*  
*titur vita, statim compositiones & mixtura inexplicabiles decantantur,*  
*Arabia atque India in medio estimantur, ulcerique parvo medicina a*  
*rubro mari importatur, quum remedia vera quotidie pauperrimus*  
*quisque canet.* Similiter THEOPHRASTUS PARACELSUS  
 ridet hinc inde vanitatem eorum, qui magno studio pere-  
 grinas plantas nosse cupiunt, suasque contemnunt, quum  
 quilibet rusticus pharmacopolium ante ades villisque annexum sepe  
 babeat. Cui non immerito adjungendus HELMONTIUS.  
 Raro, inquit, transmarinis & ab ultimo Oriente peritis remediis utor:  
 sciens, quod Omnipotens fecit sanabiles omnes nationes terræ, nec ad-  
 vestas Indo de littore merces expectandas voluerit: ut neque ante  
 cognitas Indias, minus mortalibus propitus Deus fuerit. Bonitas ergo  
 divina persuasit mihi, inquinis morbis sua domi reperiri remedia.  
 Vid. HELMONTII Pharmacopolum ac Dispensatorium modernum.  
 §. 33. Alios ut taceamus, qui similes instituerunt querelas.  
 Nihilominus nec hodie desunt, quibus satius est, in omni  
 sua praxi mera tantum non nova atque exotica medicamen-  
 ta quasi adorare: quicquid vero domi est, tanquam vile quip-  
 piam, negligere & pedibus calcare: quasi vero illa demum  
 optimum ægrotantibus præstent refugium; natura autem in  
 eo defecerit, & cujuslibet regionis incolis vel necessaria sub-  
 traxe-

traxerit remedia, vel, si quæ dedit, debiliore ea instruxerit virtute: unde mortales cogantur, remedia ex India Orientali & Occidentali, ipsaque terra australi petita in auxilium vocare, quo isti subveniant penuriæ. Qua de re pluribus queritur BARTHOLINUS de Medicina Danorum domesticâ statim in principio a. p. 1. ad 10. De hoc argumento & nos in præsentiarum agemus, primo cauſas perversi hujus instituti in medium allaturi: deinde vero, quam infirmo haec sententia talo insistar, demonstraturi.

§. II. Titulum autem Exoticomanie Dissertationi huic præfiximus: neque adeo quidem male. Siquidem per illam indigitare voluimus medicorum istud vitium, quo adeo medicamenta peregrina sive exotica depereunt, ut citra necessitatem illa, rejectis indigenis nostris, in morbis medendis adhibeant: cui vitio opponitur Εργασθενία medicorum, qua omnium medicamentorum exoticorum usum respuunt, solis in sua praxi contenti remedii inquilinis. Neque vero παντας vox semper furorem vel insaniam denotat: sed, in compositione postposita, vehementem & immoderatam cupidinem vel amorem indigitat. Hinc dicimus αὐδονιαναῖς, γυναικαῖς, δοξουαῖς: quo sensu etiam alii Anthomanie & Conchomanie inculantur. conf. G. H. VELSCH Hecatoß. I. obs. 48. de Conchomania, Anthomanie amula.

§. III. Cauſam itaque primo Exoticopiae quod spectat; minime hec est indigenorum medicamentorum insufficientia. Deus enim abunde sati omnibus regionibus remediis, ad sanitatem labefactatam restituendam necessariis, prospexit, ut adeo sine ope fere peregrinorum, morbi, nisi omnem medici industriam eludent, propulsari possint. Unde justo retundendi sunt modo, quibus vile est, quicquid domi est, quibus potius, solo rerum pridem repertarum tedium, quod adhuc que ritur, optimum videtur, quique, spretis fastidiose usitatis domesticisque, potius recentibus & exoticis, ab ipsis Antipodibus nostris petitis [ nil enim mortalibus arduum est ] avide inhiant. Vix enim regio est, quin plurima, quamvis non

omnia, suppeditet remedia, ad sanitatem hominum recuperandam sufficientia. Qvodsi enim consideremus tantum morbos quarundam regionum endemios; statim videbimus, providam naturam his ipsis sua opposuisse remedia. Ita *Bri-tannus*, *Batavis*, *Westphalis* aliisque scorbuto expositis natura benignior largissime herbam *Cochlearie* concessit. conf. *HOFMANN. l.c. p. 26.* Utque *Grönlandis*, quippe qui tanta subinde scorbuti vehementia infestantur, ut omnis membrorum motus ipsis denegetur, magis adhuc gratificaretur, non tantum *Cochleariam* abunde largita est, sed & cum hac sapientissime herbam *Acetosa* maritavit: quæ ambae ita copiose ibi in Ursorum monte, *Qafelberg* dicto, proveniunt, ut gressus etiam viarum impediunt, & semper quidem junctæ ac vicinæ, quasi seorsim sumi non debeant, ne singulae per se sumtæ detrimentum afferant, quippe altera sale volatili alcalino, altera acido turgescit, ex quarum mixtura intermedia resultat qualitas, morbo illi apprime conveniens, ita ut inde *Grönlandi*, quasi renati, convalescant. *THOM. BARTHOLINI Aet. med. Hafni. P. I. p. 35.* Sicut autem hæ regiones adeo *Cochleariae* sunt fertiles; ita mirum sane, hanc ipsam *Cochleariam* in Italia nulla fere cultura haberri posse. Spectat hoc quoque *insula Sancti Dominici* aliisque Indiæ Occidentalis insulæ, quarum incolæ sicut lui venereæ quam maxime sunt subjecti; ita unice ab illa per arborem *Guajaci*, uberrime ibidem convenientem, curantur. Ita quoque *REIN. SOLENAENDER* observavit, in iis locis, ubi *absinthium* & *centaurium majus* proveniunt, incolas plerumque pertinacibus viscerum laborare obstructionibus: ut adeo natura egregium illud remedium miseris illis hominibus praesto esse voluerit. *Qua de re vid. HOFMANN. l.c. p. 26.* Interim tamen illorum minime amplecti possum sententiam, qui *omnia plane exoticæ rejiciant*, in que eorum locum mera dōmestica surrogant remedia. In qua opinione fuerunt plurimi, e.g. *SYMPHORIANVS CAMPEGIUS*, *Eques Auratus* & *Archiate Lotharingicus*, primus forte, qui medicinam indigenam excoluit & libris suis tradidit:

dit: scilicet in *Horto Gallico*, *Campo Elyso* & de *Theriaca Gallica*, gallicis amoenitatibus refertis, in quibus, quicquid apud Indo, Arabes aliosque reperitur, apud Gallos inveniri posse, demonstrat: ANTONIUS CONSTANTINUS in libro, cui titulus: *Pharmacie Provinciale & familiare*: PHILIBERTUS GUIBERTUS in *Medico officioso*: itemque in *Medico Domestico*: JOHANNES BEVEROVICUS, in libro, cui titulus: *Autagreca Batavia*: THOMAS BARTHOLINUS de *Medicina Danorum domestica*: OLAUS BORKICHUS de *Uſu plantarum indigenarum in Medicina*: ROBERTUS SIBBALDUS in *Prodromo Historie Naturalis Scotie*: CONSTANTINUS DE REBECQUE in *Atrio Medicinae Helvetiorum*: Quorum omnium studium eo collimavit, ut ostenderent illud Poëtæ:

*Prospexit natura ſibi. Quod habere neceſſe eſt,*  
*Sub quovis mundi climate mundus habet.*  
*Eſt ſupor in nobis, gravis ignorantia mentes*  
*Poffidet, &, que ſunt proxima, ſpernit homo.*  
*Quod procul eſt, curat, longinquis querit in oris,*  
*Sponte licet tellus det meliora domi.*

Nec enim in totum exoticis carere poſſumus. Deme namque noſtris officinis omnia illa, & clavas Herculi deines. Qui autem omnibus exoticis domeſtica ſua volunt ſubſtituere, ingenii potius acumen aut conjecturas, quam ſeriam experientiam praetacitam oſtendunt, ut quidem vere iudicat & quous exotico-rum & ſtimator DANIEL LUDOVICUS Operum p. m. 16. & p. 437. ad 440. conf. MARCI MAPPY Diff. de Potu Thee p. 49. ut adeo, dum noſtra miramur, non ex diſſiſtis regionibus alioque ſole calentibus petita ſpernere: nec dum haec admittimus, terræ noſtre novercam obtigilſe rerum parentem, putare debeamus. conf. LENTIL. Mift. III. p. 284. Satius interim eſt, omnes noſtrarum regionum stirpes earumque vires in numerato habere, easque ulterioribus prudenter conſirmare ex-perimentis, &, penſitatis probe ſingulis momentis necessariis,

effectus observatos candide divulgare: quum nulla sit planta in toto mundo, quin possit cedere vel in hominis commodum, vel noxam.

§. IV. Inter causas vero Exoticomaniae primo loco commemoranda *infirmitates methodi medendi, materiae medicae, & virium medicamentorum*: in qua si probe forent versari, non tam vagæ experientiae aliorum, qui tot ampullas, tot sesquipedalia verba de exoticorum facultatibus projiciunt, fiderent; quam potius morbum ipsum ejusque causas, symptomata, indolem, morem, tempus, crisi, partem affectam, simulque ægrotantis sexum, ætatem, temperamentum, vires, consuetudinem, idiosyncrasiam aliqua probe expenderent, sicque debitis remediis morbo obviam ire possent. Dum vero in hisce omnibus sunt hospites; quid mirum, si infirmitatem hanc presso pede sequatur *admiratio* exoticorum, ita ut, dum ea ab aliis plenis buccis hinc inde laudari audiunt, hec nova, quasi in his singularis quedam, immo divina vis sit recondita, avi- di nimisque creduli arripiant; domestica vero despiciant, prorsus inutiles res pronunciantes, quarum utilitas ipsis investigata non est.

§. V. Et quidem eo magis exoticis illis inescantur, quo magis observant, multos eosque celeberrimos viros hodie in eo esse occupatos, ut novorum subinde exoticorum notitia historiam naturalem promoveant locuplerentque: quod, quamvis utilissimum sit, quoniam elegantior medicus omnino peregrinorum cognitionem habere debet; tum, ne, dum illorum mentio subinde injicitur, ignorantiae culpam incurrat; tum, ut eadem data occasione, dum cum alio medico in curandis ægrotantibus communem causam habet, in horum salutem vel approbare vel improbare queat: eum tamen in finem non sicut factum, ut ejusmodi homunciones exinde occasionem captent, domestica negligendi, mera vero exotica in usum vocandi, & ad ea, tanquam ad ignorantiae asylum, recurrendi. Sic enim ipsi illi Autores, dum de istis Exoticis agunt, aperte fatentur, *in terris nostris ac pharmacopeis jam adesse*

*esse remedia experta, qua exotica illa si viribus non antecellant, tamen  
equipollent. Testem provoco de Mumia Persica GOTTLÖB SCHO-  
BERUM. Act. phys. Nat. Cur. Vol. I. Append. p. 157. itemque J. P.  
BREYNIUM de Belilli Indico. M. N. C. Cent. VII, VIII. appendix. p. 155.*

§. VI. Multum porro huc contribuit, si tales medici si-  
mul magis ingenio, quam judicio polleant: quippe ingenium ex  
sua indole magis voluptati & luxuriei, quam veritati studet:  
unde illis nova in materie medica inventa magis ad palatum  
sunt, præcipue, quia hac ratione nec opus habent, vires do-  
mesticorum remediorum, nondum cognitorum, tædiose  
inquirere: dum e contrario judicij character est, non specie  
falli, vel auctoritati aliquid dare, sed potius omnia, quoad  
omnes circumstantias, quamvis non sine multo labore, ul-  
terius perverstigare.

§. VII. Alii ex affectata quadam ac intempestiva curiositate  
extranea usurpant: id quod vel ex dosi adiecta palam est.  
Quid enim lapis bezoar, sive orientalis ille sit, sive occiden-  
tal, quid margaritæ in minima unius, duorum triumve gra-  
norum quantitate efficere possunt? Ridiculus esset, qui la-  
pides cancrorum aliaque similia hac dosi adulto porrigeret.  
Nec minus vero illi inepte curiosi sunt ridendi. Interim &  
in hoc excusari possunt. Hæc siquidem est indoles hodier-  
ni sæculi, quod ipsi homines non tantum velint habere me-  
dicum, qui, quod sui est officii, faciat, sed etiam curiosum.

§. VIII. In aliis Exoticomania vanam quandam ambi-  
tionem & ostentationem pro fundamento habet, qua imperitis  
persuadere allaborant, se habere demum exquisitissima, de  
quibus simul promte, speciose ac pompose satis differere  
possunt, medicamenta, ab ipsis ultimis Indiæ oris, summa  
cum cura in emolumentum miserorum mortalium advecta:  
qualia nec in pharmacopœis vulgaribus prostent, nec reli-  
quias medicis sint cognita & explorata: unde mera tantum  
vulgaria ac familiaria remedia, sed vano effectu, morborum  
monstris debellandis opponant. Vel etiam nova ejusmo-  
di remedia in officinas pharmaceuticas introducunt, [ quasi  
non-

nondum medicamentorum multitudine laborent] eaque omnibus suis formulis inferunt, ad majorem pompam & eruditionis putatitiae commendationem. Doctor namque apud plebejos creditur, & a pharmacopeis avaria, & lucri sui, quam ergorum commodi, magis avidis, perbibetur medicus qui longas & exoticis, caris preserium, medicamenta, constantes formulas prescribere sole, ut loquitur FRANC. DE LE BOE SYLVIUS Operum p.m. 676. Dum hi contra ringi soleant, si formulæ offerantur, quibus modo unum vel alterum ἐντόγιστον inscriptum, ex quibus non multum lucri facere licet.

§. IX. Alii denique exoticæ adamant remedia ex nimia officiositate, qua simul ægri adstantesque convincantur, medicum nil omisso in morbis curandis, sed plenarie suo satis fecisse officio, dum omnem afferri jussit medicamentorum, etiam exoticorum pretiosissimorum, apparatum: cum tamen medicus id unum demum recte agat, quod vere recteque cognoscit: frequens autem medicamentorum variatio methodi medendi potius arguat ignorantiam.

§. X. Sed ad alterum deveniamus Dissertationis caput, vanitatem Exoticomanie demonstraturi. Tantum autem abest, ut per tot nova remedia medendi promoveatur dexteritas, ut potius medicus, hæc ipsa, viriumque domesticorum debita instructus notitia, omnibus ijsis fere exoticis tuto supercedere possit. Sic enim facile perspicere potest, quid factu opus sit, an scilicet evacuans quodpiam, vel vomitorium, vel purgans, vel sudoriferum aliudve? an vero corrigens, & quale demum? an denique roborans vel sedativum adhibendum veniat? que quatuor summa remediorum genera cum inter domestica quoque inveniantur; quid opus est, ut ad exoticæ ubique recurramus? non enim accurate hoc vel illud medicamentum, ab aliis commendatum, usurpari debet; potius simile poterit in usum vocari: si modo prioris indolém, & quomodo in corpus agat, sciverimus. Natura paucis contenta: & pauca sunt, que medicum nobilitant remedia. Selectus enim horum commendat illum, non multitudo: præstatque, pauca nosse intimius, quam

quam multa confuse. *Omnia porro medicamenta, adeoque exoticæ quoque, sunt Dei manu, & nihil: fallunt namque, quando non in tempore, nec loco suo, in usum vocantur, adeoque sunt tanti, quanti medicus: bonus quippe medicus facit bona remedia; non vero bona remedia bonum medicum.* Prudenter ac *χαρίεται* ubi nausta fuerunt medicum, felicissimum fortiuntur successum, etiamsi vilissima sint: infelicitis vero & contrarii sunt effectus, nisi casu juverint, ubi in empiricorum venerunt manus. *Falsum enim est, in ullo medicamento singularem quandam esse vim contra hunc vel illam morbum, ita ut ad illud, tanquam ad sacram anchoram, confugere possumus, sine debita consideratione causæ morbifice & subjecti morbos, cui applicari debet.* Sicut namque ad omnem motum requiritur movens & mobile; ita ad effectum medicamenti actio & receptio ipsius corporis ægrotantis: a quo, pro diversitate humorum, & motuum, quibus fibræ istius corporis affuetæ sunt, varietas operationis dependet. Hinc est, quod, si idem medicamentum decem hominibus, eodem morbo decumbentibus, offeras, diversus in singulis consequatur effectus. Hinc idem purgans eidem homini diverso tempore datum, diversas semper edet operationes. vid. LENTIL. Misc. I. p. 288. &c. it. Misc. Nat. Curios. Cent. I. p. 209. conf. AET. phys. med. N. C. Vol. II. p. 435., ubi de diversis Vomitoriorum agitur effectibus. Hinc idem remedium martiale, v. g. limatura martis cruda itemque Tinctura martis tartarisata Ludovici in aliis alvum confipat, in aliis laxat: in aliis fluxum menstruum inhibet, in aliis promovet. Hinc cortex chinæ quoque modo alvum laxat, modo stringit, modo menses provocat, modo moderatur. vid. PAULI GOTTLIEB WERLHOFII, observatoris præstantissimi, *Observationes de febribus, variis in locis, conf. Ejusd. Epistola ad BRUCKMANUM data, atque in denen. Hamburgischen Berichten von gefährten Sa- chen hujus anni p. 228. & 229. communicata, ubi pluribus di- versas Corticis Chinæ operationes explicat.* Hinc cortex etiam granatorum quandoque menses movet, alioquin evi-

B

den.

denter adstringens. vid. BOHN de officio medici duplici. p. 245. Fortissima contra Emmenagoga minus effectum, qui sperabatur, producunt: quemadmodum & Sabina, validissimum atoniov, saepius ad abortum promovendum, sed incassum, adhibetur. vid. Act. Phys. med. Nat. Curios. Volum. II. obs. 118. p. 271. seqq. conf. BONETI Med. Septent. P. II. p. 527. &c. Hinc acidulae iis, quibus alvus obstipata, eam aperiunt; quibus vero aperta, obstipant. Misc. N. C. Cent. V. p. 32. Hinc non omnia omnibus sunt venena. BOHN. l. c. p. 638. &c. Hinc vesicatoria in arthritide saepe vix cutim tangunt, etiam si ter ad minimum recentia, & cantharidibus in dupla dosi stimulata, applicentur. Misc. Nat. Cur. Cent. IX. & X. append. p. 480. In aliis contra fortius justo agunt, in aliis aliter operantur, vid. BOHN. l. c. p. 316 ad 318. conf. Misc. Nat. Curios. Cent. IX. obs. 46. p. 118 ad 128, ubi idem quoque de aliis praesidiis chirurgicis, fonticulis, setaceis, probatur. conf. de plurium medicamentorum heteroclitis effectibus DAN. LUDOVICI Opera p. 428.

§. XI. Quum itaque omnes omnium medicamentorum qualitates non sint absolutae, sed relativae tantum, quarum bonus effectus a prudenti dependet applicatione, quis quæso, nisi, qui medicinam per transennam, quod ajunt, tantum adspexit, adeo ubique exotica creparet? cum tamen horum equipollentia, [ quidni & saepe validiora ] passim nobis præ foribus nascantur, viribus integris ubivis habenda, artisque beneficio diversimode depuranda, exaltanda, concentranda. Ita, ut pauca tantum exempla in medium profaram, loco Emeticorum peregrinorum, Guttæ Cambodiæ, Ricini inedi & Americani, granorum tilli aliorumque, radix vel folia Afri, gemmæ ac cortex sambuci dari possent: pro scopo sudorifero loco Cornu Rhinocerotis, cervi aliorumve animalium cornua, ungulæ, ossa: vel loco lapidis Malacensis porcini variorum animalium bilis: pro scopo vesicatorio loco lanugininis istius Artemisiae Chinensium, nempe Moxæ, quævis acria, quodvis linum, quævis stupæ herbaceæ: pro scopo absorbendi loco margaritarum, dentalium, entalium, vulgaria nostra ostra.

ostracoderma: pro scopo sanguinem congrumatum resolvendi loco  
 Mumiae Arnica nostras: pro scopo alexipharmaco, loco radicis  
 Contrajervæ vel Serpentariæ Virginianæ Valeriana: pro scopo  
 balsamico loco balsami cuiuscunque peregrini therebinthina:  
 pro scopo aperiendi ac resolvendi, loco theæ chinensis, ejusque  
 novorum & exoticorum succedaneorum, Botryos Mexicanæ  
 Ambrosiodidis, Ambrosiæ Artemisiæ foliis Malabaricæ, Ca-  
 prariæ Peruvianæ Agerati foliis, sive Theæ de Lima, herbæ  
 de Paraguay, (de quibus peculiarem scripsit Diss. epistolam, reperi-  
 undam in M. N. C. cent. V. & VI. append. p. 144, ad 160. M. F. LOCH-  
 NERUS) folia rosæ sylvestris sive cynosbatos, veronicæ, salviæ,  
 rorismarini, agrimonie aliarumque herbarum convenienti-  
 um, de quibus elegantissimam vide observationem GODOFF.  
 THOMASII M. N. C. cent. IV. p. 473 ad 479.: pro scopo expecto-  
 randi loco seminis Badiani, Anisum & Foeniculum nostrum:  
 pro scopo carminativo loco calami aromatici atque Acori Indici  
 Acorus noster: pro scopo aphrodisiaco loco radicis Tartaricæ  
 Ginseng, nostra Angelica, Levisticum, Meum vel Apium  
 dulce hortense: pro scopo antihydropico & antipodagrico loco  
 radicis Parreiræ bravae Dulcamara nostra ac Aristolochia: pro  
 scopo antinephritico loco Actinellæ Zeilanicæ, semen violarum  
 ac Millepedes: pro scopo antifebrii, loco Corticis Chinæ ac  
 Chacarillæ Cortex fraxini ac flores Chamomillæ: pro scopo  
 antiscorbutico loco Acriviolæ & Corticis Magellanici, Nastur-  
 tium aquaticum, beccabunga, cochlearia: pro scopo luem vene-  
 ream curandi loco ligni Guajaci & fassafras eorumque corti-  
 cum, radicis Chinæ & farfeparillæ, radix Bardanæ, P. tasiti-  
 dis, Pimpinellæ albæ, lignum & bacca Juniperi, herba Sapo-  
 nariæ. Et quot denique exoticis, ab ipsis Garamantis coë-  
 mendis, non possemus carere, si fuliginis polychrestæ virtus  
 magis omnibus effet cognita & explorata?

§. XII. Porro vero domestica nostra præ exoticis in  
 usum vocanda, quoniam præ his diuturno usu atque experientia a  
 majoribus nostris per tot annorum seriem fuerunt probata. Quis  
 autem posthabitatis usitatissimis, quorumque copia abunde

nobis suppetit, novorum & incognitorum subeat usum, ea-  
que periclitetur empiricorum more? Expedit enim & hic,  
magis timere, quam male fidere. Quare & hic fide, sed cui  
fidas, vide! memor aurei illius moniti Pindarici: *μέμνασο*  
*άπιστα*. Quamvis enim exotic a hinc inde tanquam præsen-  
tanea laudentur remedia; nihilominus qui illis utitur, sæpius  
incedit per ignes, suppositos cineri doloso. Caute ergo  
cum novis illis mercandum est remedii. Quantis, quæso,  
iisque sane portentosis laudibus a novaturientibus nostris  
deprædicatur *Faba*, ad nuces vomicas referenda, *Sancti Ignatii*,  
ita ut neminem in Charontis cymbam descendere fere-  
siant, quin antea ipsum granis quibusdam fabæ hujus, tan-  
quam ultimo naulo, instruxerint, forte, ut eo tutius trans-  
fretare possit? Saporis hæc est amari, adeoque certo modo  
vim stomachicam, diaphoreticam, bezoardicam, nervinam,  
habere potest: an vero ideo ubique, tanquam summum be-  
zoardicum ac cardiacum, dari debeat, immo tuto dari pos-  
sit, aliorum prudentiæ ac conscientiæ relinquo: mihi quidem  
longe alijs sedet arimus. Consentit mecum *EMAN. KÖRIG*  
in *Regno Vegetab.* p. 838. &c. atque *Cel. FRID. HOFMANNUS*  
in *Diss. de prudenti virium medicamenti exploratione.* §. 18. ubi simul,  
hanc fabam nostra natura maxime esse inimicam, & lenem recondere  
virulentiam, existimat. *Idem* sentiendum de virtute alexipharmacæ  
*Nucis Vomica ac Ligni Colubrini* adeo celebri: cum tamen cardi-  
algia, anxietates præcordiorum aliaque symptomata horum  
usum subinde sequentia, satis superque ostendant, noxiæ  
quid in iis esse absconditum. *conf. HERMANNI Cynosura*  
*mat. med. per J. H. BOEGLERUM edit.* p. 235. *Idem* de lapido  
*Lazuli*, qui veram cupri mineralm continet, eo quidem copiosem, quo plus habet coloris cœrulei. Evertit enim  
stomachum, more omnium Venereorum remediorum, ideo-  
que lavatur multoties, ut acrimoniam & vim exurendi amittat,  
sicque melancholicis ac maniacis propinari queat. Enim  
vero ponamus, insigni cum utilitate quandoque hisce misel-  
lis eum fuisse datum: ergone vim habet cordiale, vel ex-  
hila-

hilarandi, omnibus promiscue laudandam, quando per acci-  
dens quosdam juvit, humores ex ventriculo pravos extur-  
bando? Interim lapis lazuli, tanquam cor roborans in con-  
fessionem Alkerimes recipitur. conf. CASP. HOFMANNI  
*Paralipom. offic. cap. 76.* it. RIVINI *Disspp. med. p. 90.* Idem de  
*Anacardis hincque parata Confessione Anacardina dicendum.* Hanc  
quidam magnifico confessionis Sapientum & Salomonis titulo in-  
signiunt, ob vim memoriam confortandi insignem. Potius  
vero confessio stultorum est appellanda, quoniam multi ab ejus  
usu facti sunt maniaci, ita ut catenis opus habuerint, vid.  
CASPARIS HOFMANNI lib. de Medicamentis officinalibus p. 386.  
ubi & aliud assert exemplum viri, qui ejus usu stupendam  
acquisiverat memoriam, intra paucos tamen annos ita fuit  
exsiccatus, ut cum perpetua siti premeretur, quotidie ad  
ebrietatem usque biberit, itaque, & sibi & suis inutilis fa-  
ctus, tandem misere perierit. Exosculanda hinc merito  
sunt verba Petri Foresti, ita loquentis: *Atque ego in ea semper  
fui sententia, & herere constitui, nusquam experiri infamia, quum  
meliorum copia suppetat.* *Quandoquidem temerarium & insignis stu-  
tiae argumentum est, in anticipi medicamine periculum facere, ubi id  
nulla cogat necessitas.* Lib. IX. obs. 23.

§. XIII. Verum enim vero, inquis: *cur adeo laudantur  
exotica?* Sed, nostine, multis exotis non tam ex natura sua,  
quam potius ex opinione vulgi, magnitudinem accedere?  
nostine porró vulgatum illud: *Laudat venales, quos vult extru-  
dere merces?* Videmus hoc exemplo Salviæ, quam cum solum  
Chinense non alat, mercatores Batavi, tanquam Chinensi-  
um morbis medendis aptissimam, adventantes extollunt:  
eujus cum sint persuasi, & reapse non malehinc se habeant  
Chinenses, libentissime duas Theæ libras pro una salviæ li-  
bra permutant. vid. MAPPi *Diss. cit. p. 24.* Verum variis ei-  
am persuasib[us] ac mendaciis mercatores utinam, ut eo promptius  
merces vendant credulosque decipient: qua de re lectu di-  
gna est SCHOBERI *Dissertatiuncula de Mumia Persica citata,* ubi  
id non modo de Mumia hacce, sed & de Rhabarbaro, quod a

Rhapontico ex lucri amore discernunt, probat: cum tamen  
 haec binæ radices sint unius ejusdemque plantæ radix, superio-  
 re hujus parte rhabarbarum, inferiore vero rhapsonticum  
 præbente; quod ibidem variis argumentis confirmatur. p. 154.  
 ad 156. Sed nec his contenti sunt mercatores, ita ut quoque  
 eruditos ipsos, qui nil præter deum numum querunt & ado-  
 rant, certo conducant pretio, ut bujus vel illius exotici, quo promptius  
 vendatur, ebuccinent laudes: quemadmodum Batavi suum Bon-  
 teke, ut Theæ panegyricum scriberet, hac ratione induxisse  
 feruntur: quæ tamen thea effectus, quos præstat, laudabiles,  
 non tantum a se ipsa habet; sed etiam ab aqua calida assusa  
 nanciscitur. conf. bnc J. J. BAIERI Problemata med. 1706. Altorsa  
 ventilata. p. 10 ad 13. it. Misc. N. C. Cent. IV. p. 474. Laudant  
 præterea exotica medici, qui, dum semel non sine successu  
 quodam remedio usi sunt, illud, tanquam panaceam  
 de ipso caelo delapsam, universæ statim morborum familiæ  
 destinant. vid. NIC. DE BLEGNY Zodiac. Med. Gallic. ann. I.  
 p. 288. &c. it. Histor. Morbor. qui anno 1699 ad 1701. Wraislavia  
 graffati sunt. p. 101. Sciendum itaque, sepe his laudem tribuit, sed  
 falso: fiunt enim monstra in natura, & quem nemo sperasset  
 evasurum, sepe & medicos & criticos suos vitæ diurnitata  
 supererat. Sique porro quædam profuerunt remedia, ob  
 rectum usum profuerunt. Exploranda proinde veritas multum  
 prius, quam stulta promte judicet temeritas, ut ait Poëta.  
 Quantum non laudatur radix Ginseng, ob præstantissimam,  
 quæ illi adscribitur, virtutem analepticam ac alexipharma-  
 cam, qua non detur in rerum natura excellentius simplex?  
 Sed haec sunt laudes hyperbolicae, quibus Indi vires medice-  
 mentorum exaggerare solent: iisque objici possunt verissi-  
 me verba W E D E L II in prefat Libri de Medicamentorum Faculta-  
 tibus: Onerantur medicamenta Laudibus immodicis, quæ primo in-  
 flant hominum spes, deinde desistunt, habentque sè, tanquam gaudi-  
 um foliatum, quod in immensum tenditur sicut aurum; sed minimo  
 balitu in auras abit. conf. de radice Ginseng H O F M. Diss.  
 cit. §. 16. Ubi enim testimonium ex vera & genuina peti-  
 tur

tur experientia, maxime illa laus claudicat, & splendidum potius est mendacium. Ut taceam, experientiam perfectam vix de illa similibusque haberi posse ob raritatem insigneque pretium, quæ non permittunt, ut plura experimenta circa illa institui possint remedia. At ponamus, exotica hæc vel ista insignem plane effectum subinde edidisse. Ergone ubivis sunt adhibenda? Nemo unquam adeo fuit insultus, ut omnium pendibus eundem inducere calceum fuerit ausus. Ecquid vero aliud agunt, qui sua ubique crepant exotica, tanquam infallibilia? Quodsi alias in actione forensi circumstantiae variant jus judicisque sententiam; multo magis in foro medico necessum erit, ut omnes circumstantias rite pensitemus, præsertim, quando ægrorum caußæ nec moram patitur, nec sperare ullam sinit restitutionem in integrum, si male cœpta fuerit. Laudem denique illam *sepius inanem esse*, vel ex eo patet, quia exotica ista sensim evilescent: quemadmodum id de radice Chinæ, quæ olim in magnō fuit pretio, testatur RAMAZZINI in Operibus suis p. m. 132. Idem fere fatum apud multos habuit Cortex Chinæ multaque alia, quæ, maximis licet laudibus in orbem ebuccinata, etatem non tulerunt, sed prius plerumque, quam ipsi buccinatores, interciderunt, & raro se magnificis commendarunt effectibus: potius vero, ubi promissis in uno altero casu non steterunt, omnium experta fuerunt censuram, & in totum, velut dannosa, proscripta. conf. LENTIL Misc. I. p. 247. 248. 544. Similes vicisitudines radicem Ipecacuanhæ, sive Hypocauananæ atque Pareiræ Bravæ subiisse, testatur M. SCHENDO VAN DER BECK. Att. phys. med. Nat. Cur. Vol. I. app. p. 118. n<sup>o</sup>.

§. XIV. Quodsi porro expendamus, quanto *sepius* pre noſtra-ribus remedii exotica veniant pretio, quo quandoque ipsum superant aurum; quis illa, salutis publicæ amans, non detestetur, ubi viliora sufficiunt? quin potius divinam veneretur sapientiam atque benignitatem, quæ abjectissimis remediijs, quæque vix titivilitio quis emitaret, longe nobiliorem & fructuosiorem indidit facultatem medicam, ac magno pre-  
tio,

tio, labore & artificio comparandis, ne quoque plebi & extreme egeno mendico desit, quo se a variis gravioribus que corporis affectibus liberare queat: *qualia etiam, ut Hippocrates jam monuit, medicum non pigeat ex plebeis se scirari, si ad curandi opportunitatem conferre quid videantur: neque enim vulgi experimenta semper sunt deliramenta.* Nihilominus ubique pretiosa immiscuntur, saltim, ut horum specie cariora sint omnia: quasi pretio ingenti sanitas constet: qua vero de caussa multi medicorum apud illos, qui sumtibus immodicis non sunt pares, aut minore apparatu atque impensis perfici posse curationem, credunt & intelligunt, odium sibi & opprobrium concitant. Interim tamen, ubi medicus videt, ægros ditiones honoratioresque familiaria spernere, fiduciam vero in pretiosioribus collocare medicamentis, juxta illud Tibulli: *magis illa juvant, que pluri emuntur: sicut Galenus de divite quodam perhibet, qui remedia, que parvi videbantur, mendicorum esse ajebat;* volentibus ita ægrotis nullam faciet injuriam, si præjudicio ipsorum tantisper obtemperaverit: ne idem ipso accidat, quod quondam Archangelo Senensi, cui Julius II. Pontifex Romanus, proprobavit, quod pari sumtu ipsum curaret, quo quemvis servum vilissimum. Longe vero alius Carolo V. Imperatori, fuit animus, ac Pontifici huic, aliisque, mera pretiosa æstimantibus. Ille enim hydropticus, accersiri jussit medicum suum Basdorpium, deque remedio, jam in aliis probato, eum interrogavit: *Cum medicus respondisset, se quidem habere, sed eo potius mallei in rustico, quam Imperatore:* inquit Hic: *cogita, te rusticum pre manibus habere, modo Imperatorem ita curaveris.* Dedit itaque medicus æs ustum, vel spumam æris in substantia ad drachmam unam cum melle, sicque Imperatorem curavit, referente Jacchino & Foresto. vid. Jo. Henr. Cohausen in Helmontio suo Ecstatico. p. 209. Ita etiam Uladislaus Rex Poloniae, velut in podagre exemplum natus, tandem ad Angelicam sylvestrem, diabolarem plantam & trivio notam, ipsi vero tot millibus redemptam, prolapsus est, eludente arcanorum

rum vim morbi pertinacia. J. N. PECHLINI obf. phys. med.  
 p. 258. Non itaque sequitur, pretiosa esse efficaciora, quia talia esse  
 a nonnullis putantur: qualem opinionem pluribus dum expro-  
 brat RIVINVS, lepidaque illustrat historia vel potius fabula.  
*Disput. suarum* p. 104. &c.; non possum non hanc in medium  
 adducere: Fertur scilicet opulentioris rustici filius patri suo,  
 cum ægrotaret, passerculum Canariensem, qui ad fistulæ  
 imitationem cantare didicerat, duodecim Ungaris emtum  
 assatumque, ad manducandum apposuisse, recreationis ergo.  
 Hic vero degustans rarissimam aviculam, dum nullam hinc  
 sentit virium instauracionem: ab, inquit, mi fili, deceptus es.  
 Si qua virtus in pretio est; cur non aureos dedisti nummos ad devo-  
 randum? Sed nec aurum, credo, & si que adhuc pretiosiora sunt, quic-  
 quam juvant: aliqui nullus moreretur Princeps: nemo in orbe novo,  
 ubi aurum ac argentum, gemmas ac margaritas tam vulgares audio,  
 quam apud nos siles fluviales in ripa. Sic etiam est olitor val-  
 de opportuna locutus! Pari ratione, viliora remedia sæpius  
 pretiosis exoticis esse præstantiora, JACOBUS FABRICIUS,  
 Professor quondam Rostochiensis celebris, & scivit, & Prin-  
 cipem WALLENSTEINUM edocuit. Ille enim, cum ad  
 hunc, catarrho laborantem, vocatus esset, commendabat  
 aquam Majoranæ, errhini loco usurpandim. Quod cum au-  
 diret Princeps, indignabundus dicit: Hola! Apage vile hoc  
 medicamentum, virtuosa nuce vix emendum, ac alium tibi, aut gregari-  
 um Rostochiensem civem, ad mœnia habitantem quare, cui id imperes,  
 non mibi Principi. Hic tamen cum se collegisset, auctoritati  
 confidens medici, blanditer Serenissimam illius Celsitudi-  
 nem exorantis, ne floccipenderet hoc medicamentum, certa  
 spe proposita exoptati effectus, consensit tandem in hujus  
 usum. Dum ergo naribus illud attrahit, & præter spem ab  
 illius usu iterato ingens vis antea spissi ac tenacis muci stro-  
 phiolum permadefaceret, non sine præsentaneo levamine  
 Principis: dixit hic: Ecce tibi, Fabrici, effectum generofissimi & nu-  
 quam fairis laudandi medicamenti a me spreti! magni deinceps id a me  
 estimabitur: simulque Fabricii consilium hocce magno præmio,  
 ducentis nempe aureis, unius moneta, remuneratus est,

C

eum-

eumque suo ipsius curru, quadrigis albis trasto, Rostochium  
revehendum, a se gratiose dimisit. vid. SIM. PAULI *Quadr-*  
*part. Botanic.* p. 381, 382.

§. XV. Sed concedamus, pro magnatibus, curiosioribus,  
ditoribusque pretiosa illa exotica in pharmacopœis esse affer-  
vanda. Sed quid respondebunt delicatuli hi, si quis objice-  
ret illis, *varia quoque inter pretiosa exotica dari re vera sordida.*  
Exempli loco sit vel sola Mumia, ad sordida jure meritoque  
referenda remedia. Est enim hæc nihil aliud, quam corpus  
humanum, sive integrum, sive in partes divisum, bitumine  
judaico, aloë, myrrha, resina cedria aliisve conditum & a  
putredine præservatum. Quid autem magis nauseosum esse  
potest, quam ejusmodi remedium, cadaverosum assumere?  
præcipue cum nescias, an talis homo vel peste aliove morbo  
abominabili fuerit abreptus: unde etiam recentiorum non-  
nulli, cum Cröllio, periculum illud, quo mortis genere talia  
mumiata obierint corpora, evitare, iisque mumiam, hic lo-  
corum, ex cadavere hominis ruffi, vegeti, juvenis, violenta  
morte peremti, paratam, sed æque inepte, substituere volue-  
runt. vid. Jo. SCHRÖDERI *Pharmacop. med. chym.* Lib. IV. p. 294.  
295. Damnatur alioquin anthropophagia, damnatur copro-  
phagia medica: & merito damnatur, nisi ex desperatione eo  
sit deveniendum, a quo natura abhorret: quicquid dicant  
medici illi, qui cum Xenocrate aliisque in nauseosis ac sterco-  
ribus, scarabæorum more, dulcedinem querunt, ipsis quia  
ad palatum est, relinquendam. Interim absone illi curiosi  
avide mumiam arripiunt commendatam, quia est exotica &  
pretiosa: qui tamen ad vomitum usque nauseabundi redde-  
rentur, si quis vel pinguedinem, vel cranium, vel secundi-  
nas, vel cerumen, vel ungues humanos, aliave ex homine  
desumpta, mihi certe βελυγα, pro usu interno, illis exhibere  
vellet. *Incidit itaque in scyllam, qui vult vitare charybdim.*

§. XVI. Verum ponamus porro, per exotica promo-  
veri [quod supra negatum est] medendi dexteritatem, non  
dari apud nos plurimorum exoticorum æquipollentia, ea  
quoque esse fidissima omniq[ue] laude superiora medicamen-

ta,

ta, ita ut pretium illorum non magnopere attendendum sit  
*Vnde vero securi esse possumus, nos genuina illa adeo adamata possidere  
 exotica? Quis tutuu erit ab illorum adulteratione?* Certissimum  
 enim est, omnia fere exotica fatum hoc manere, & quidem  
 eo magis, quo celebriora illa sunt ac pretiosiora, ita ut res alie-  
 nae, ad augendum pondus majusque exinde lucrum captan-  
 dum, ut muscerda, quod ajunt, piperi, adjiciantur. Expenda-  
 mus modo decoctum *Cavhee*, an a tali mangonisatione sit li-  
 berum? norunt hoc caupones, tale sorbillum publice diven-  
 dentes: Cum enim virtus ejus in amaritie quadam empyreiu-  
 matica consistat, inter alia panis crustas ad insignem amaritiem  
 ustulatas in proportionata dosi admiscent: qua arte celebris  
 quidam Venetiis *Calde* pocillator ceteros hujusmodi officina-  
 rum mangones in corradenda otiosorum pecunia superavit,  
 ut referit M. SCHENDO VAN DER BECK. *Act. Phys. med. Nat. Cur. Vol. I.*  
*Append. p. 115.* Quod si itaque mercatores a rerum vulgarium  
 adulteratione sibi non possunt temperare, quid non patrabitur  
 circa pretiosiora? quam in rem varia adducit exempla *Cel.* R.  
*VINUS l. c. p. 98. 99. conf.* AD. GOTTLÖB RICHTER *de Corruptione*  
*medicamentorum cognoscendū p. 5. 6. it.* LUDOVICI *l. c. p. 436.*

§. XVII. Quis etiam nescit, exotica s̄epe optima sui parte  
 defraudari? ut videmus in cariophyllis aromaticis, qui, post-  
 quam oleum ex iis extractum est, aliis iterum permiscentur, ut  
 secunda vice quæstum ex iis faciant. *vid. RIVINUS l. c. p. 99.* ubi  
 idem de Styrace ac Cortice Cinamomi probat. *Conf. RICHTER*  
*RUS p. 6.* Cubebas in Java, ne alibi plantentur, prius decoqui, ex  
*Wormio* docet LUDOV. *l. c.* Idem experiri dicitur Crocus, qui,  
 tingendis prius pannis adhibitus, venditur, & modo staminibus  
 carnis bubulae salitæ, modo additis floribus Carthami offi-  
 cinalis adulteratur.

§ XVIII. Nonne præterea alia sunt *supposititia?* Evolvas  
 tantum RIVINVM *l. c. p. 97. 98.* & RICHTERVM *l. c. p. 7. ad 10.* ubi  
 satis fraudes mercatorum edoceberis. Et quid de *lapide bezoor*  
 dicamus? quippe qui vix datur verus & genuinus: quod vel  
 ex eo patet, dum in nostris regionibus plures ejusmodi lapides  
 possidemus, & quidem viliori pretio, quam ubi reperiuntur.

A 2

In

In Indiis enim Regibus & Magnatibus, tanquam singulare offe-  
runtur donum, ita ut rariissime in mercatorum transeant ma-  
nus. *conf.* EMAN. KÖNIG. THESAUR. remediorum p. 20. & 93.  
Quin immo degunt in Gallia & apud Batavos hinc inde im-  
postores, qui tanta solertia adulterinos confiscere norunt lapides  
bezoardicos, ut vel Argus genuinos ab iis non posset discerne-  
re: *ut jam observavit SIM. PAULI l. c. p. 16.* Quis itaque his tempo-  
ribus veros agnoscat, ubi sine dubio & haec technæ sumnum  
perfectionis culmen sunt adeptæ? Lapis autem Bezoar de  
*Goa* manifeste est factius, *conf.* MISC. NAT. CUR. CENT. III. & IV.  
*append* p. 86, ubi ingredientia ejus enarrantur. Sed mirum haud  
est, in pretiosis tantas committi fraudes, cum operæ pretium  
sit, magna mercede fallere: nam & in vilioribus id fieri assolet,  
ut patet exemplo lapidum cancrorum spuriorum, ex argilla  
usta confectorum. *Rivin.* l. c p. 100. 101. Ita quoque apud Batavos  
Ostreis illis Anglicanis minoribus, colore viridiusculis, & præ  
aliis expeditis, vulgaria scepissime, nondum adulta, viridique  
æris tincta, a nebulonibus quibusdam avaris supponuntur:  
quamvis sub pena capitali istud mangonii genus sit prohibi-  
tum, *vid. Misc. Nat. Cur. Cent. VIII. p. 450. &c. ad 456.*

§. XIX. Nonne denique exoticæ sœpe sunt *sassa*, *cariosa*,  
*patrida* & *in navigiis corrupta*? Ita radix Chinæ, ligni subinde pu-  
tridi instar, omni virtute spoliata deprehenditur. Verum hoc  
etiam sœpius est de radice sarsparillæ, Mechoacannæ albæ, li-  
gno sassafras, cortice Thymiamatis, Diptamno Cretico, mul-  
tisque aliis, immo de ipso Cortice Peruviano, quem in officinis  
venalem, MORTONUS testatur, maxima ex parte esse cariosum,  
effictum, putidum, præterea vero spurium, adulteratum, ut  
propterea anxius & tremulus eum semper prescribat, nisi co-  
ram electum. LENTIL. *Misc. II. p. 544. &c.* His omnibus consi-  
deratis, quis ulterius illud medicamentum unice expeteret,  
quod remoto arcessitur orbe? Quis non potius inquilina ex-  
ploret, eaque in usum medicum, quantum fieri potest, deduc-  
cat? Forte & illud aliquando veniet tempus, ubi, excusso omni  
exoticorum jugo, de felicius excultis domesticis Medici-  
na sibi gratulabitur remedii.


01 A 6509

ULB Halle

002 931 249

3







30.

DISSESSATIO MEDICA  
DE  
**EXOTICOMANIA,**  
SIVE  
**DE EO, QVOD NIMIVM EST,  
CIRCA VSVM MEDICAMENTORVM  
EXOTICORVM.**

*QVAM,*  
CONSENSV FACVLTATIS MEDICÆ,  
P R Æ S I D E  
**CHRISTIANO STEPHANO SCHEFFELIO,**  
MED. D. ET PROFESSORE REGIO ORDINARIO,  
D. XVIII. DECEMBRIS ANNI MDCCXXXIII.  
IN AUDITORIO MAIORI  
PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT  
**JOANNES ANDREAS  
GADEBUSCH,**  
GEDANENSIS, MEDICINÆ STUDIOSUS.

29  
GRYPHISWALDIÆ,  
EX TYPOGRAPHEO CAROLI HÖPFNERI, REG. ACAD. TYPOGR.